



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Oratio per diem sæpius replicanda. 34

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

In te, faciensque me hominem secundum cor meum, prout hoc, licet indignissimus sim, ex intimo cordis mei desidero & concupisco. Denique per meritum humani gaudiosi spiritus tui, sanctae ac dolorosae animae tuae, & sacri vulnerati corporis tui dimitte mihi omnia delicta mea, & exolve quicquid proinde sustinere merui & hic & in futuro. Sacris quoque virtutibus tuis me exorna, tamque me purum ac idoneum effice, ut benedictam diuinitatem tuam iugiter in me manere, teque ipsum in venerabili sacramento intra me suscipere delectet, faciasque me eius amore languere. Et hoc pro qualicumque gratitudine, quod me creare, redimere ac teipso reflecti dignatus es. Porro, cum meipso charius aliquid dare non possim, meipsum totum offero ac redimere immensae bonitati tuae, ut coenam tuam mecum seruare possis, quae profecto a deo bona est, ut quisquis eam perceperit, satis abunde prosperetur, a peccatis & scadalibus praeseruetur, & aeterna felicitate dotetur.

Qualiter sepius orare per diem debeamus, ut Deus in nobis pacem & gaudium habere possit. Cap. XXXIII

**C**redo in Deum. O benedictae Deus, credere toto corde desidero, quicquid me credere vis. Credo quod intra me & sis & manere velis. Ideoque & humiliter oro, ut per gratiam tuam iugiter in me permanear, quatenus pacem & gaudium in me habere possis, & sanctissimam diuinitatem tuam in me velut in throno suo per merita sanctissimae humanitatis tuae habitare delectet. Et quia intra me es, vira ex-



LIBER III.

stans animæ meæ, ideo te rogo, vt in me & per me lucere, ambulare, loqui & operari quæcunq; tibi sunt placita, digneris. Et per sanctissimã humanitatem tuam, quam ex beatissima virgine Maria assumpsisti, permitte diuinitatem in me & per me lucere, sicut Hierosolymis in templo ex te radiabat. Omnesque tam visibiles, quam inuisibiles hostes meos, qui me auertere vel abducere possent a gratia tua, fuga a me: quatenus in eadem gratia tua viuere & mori possim. O summum & optimum bonum meum, vnicum solatium & refugium meum, fac me quæso mitem & humilem corde. Fac me (inquam) præ mortificatione viuum, præ patientia hilarẽ, præ simplicitate prudẽtem, præ paupertate diuitem, & præ humilitate fortem: vt sic in te totaliter & omnino transformari valeam.

De tribus, quæ in exercitio nostro habere debemus. Cap. XXXV.

**T**Ria in exercitio nostro habere debemus: Primum erit in nobis continuum, videlicet interna quædam vnio cum Deo, vt vnus cum ipso spiritus permaneamus, hoc qui sequitur modo: **O** domine Deus meus, perfecte te laudare nō sufficio, sed rogo vt te ipsum in me laudare velis, sicut & ab æterno fecisti. Confiteor enim domine, quod sis vita animæ meæ, quã reficis sine cessatione ex diuina essentia tua, quoties aut emitto vel attraho anhelitum: quodque sis in me, viuificans animam meam. Desidero itaque momentis singulis exire meipm in te, cum omnimoda proprię volūtatis ac illius quod sum

EE & omni-